

¶ Et dictis capitaneis procurator comunis dare debeat in scriptis personas ire debentes vel existentes ad dictam custodiam, et quos invenerint deficientes denunciare debeant, vel mittere ad denuntiandum eidem domino potestati, sub pena predicta qualibet vice contrafacta et pro quolibet capitaneo, cui denuntiationi adhibeatur plena fides. ¶ Nec ipsi capitanei aliquam personam ire debentem ad dictam custodiam vel interesse debentem excusare debeant, que non esset ibidem; salvo si aliqua persona veniret Tergestum pro virtualibus, quod illi sint excusati, scilicet unus pro Castro Mocho et unus pro Castro Moncholari, qui dormire possint una nocte in civitate Tergesti, et duobus quos mixissent pro lignis; nec etiam ipsi (ipsi) capitanei premium aliquod recipere debeant ab aliqua persona interesse debente ad custodiam predictam, pena sacramenti et vigintiquinque libr. contrafactanti et qualibet vice contrafacta. ¶ Qui capitanei nullo modo recedere debeant de custodia ipsorum castrorum, nec venire in civitatem Tergesti tempore quo stare debent ad dictam custodiam, salvo quod unus capitaneorum de Mocho venire possit Tergestum una die, et una nocte stare in Tergesti, et tempore quo veniret Tergestum, alius capitaneus recedere non possit a custodia // dicti Castri, donec alius capitaneus qui venisset Tergestum ad dictum Castrum reverteretur, ad cuius Castri Mocho custodiam semper unus ipsorum capitaneorum sit et esse debeat ad custodiam dicti Castri, sub pena predicta cuilibet ipsorum et qualibet vice contrafacta. ¶ Qui capitanei de Mocho habere debeant de camera comunis, scilicet illi de Mocho unam libram olei et unam libram candellarum de sepo pro quolibet, et capitaneus de Mocholano etiam unam libram olei et unam libram candellarum de sepo, etiam in ipsis quindecim diebus. ¶ Item quod capitanei qui ibunt ad custodiam dictorum castrorum expectare debeant eorum successores, nec recedere debeant de dicta custodia, nisi eorum successores, vel unus ad minus capitaneorum de Mocho, ad custodiam dicti Castri venerit; et quod novi capitanei recedere debeant de civitate Tergesti pro eundo ad dictam custodiam tale hora, quod esse debeant ad eorum custodiam saltem ad horam dimidii diei, et hoc sub pena centum sold. pro quolibet

98 A